



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 18. De Gaspare Sobrino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

Optimorum Regum dominiis inhiant, ut quamplurimos secum perditum eant, æquè animorum ac corporum piratæ. Cùm verò disceptaretur de remedio perniciosorum libellorum, & censerent nonnulli eorum exemplaria per Americam spargenda esse, ad hostium insidias detegendas, sententia Societatis prævaluit assententis ignibus aut tenebris libellos hos esse adjudicandos, ne incautis pestem aliquam afflarent, aut rebellionis causa essent. Pro servata Sociorum navi actæ Deo gratiæ sunt: argumentis enim vetosimilibus postea deprehensum, piratas ex ipsa Europa eo fine venisse, ut Jesuitis in ostio fluminis Argentei insidiarentur. Sed Deo Optimo protegente factum, ut dum nauæ inter se disceptarent, an navis ad stationem, quâ se piratæ occultaverant, appellerent, venti ita faverint, ut necessariò ultrâ progrediendum fuerit. Sic evitatis insidiis subsidiarii Socii partim ad Hispanorum urbes, partim ad Barbaras nationes amandati sunt.

Socii servati.

CAPUT  
XVIII.  
De Gaspare  
Sobrino.

Parentes.

Educatio.

Itinera.

Modestia.

Pietas.

Tolerantia.

Laus.

CAPUT  
XIX.  
Caaröenses  
& Iivenses  
Religioni  
utcumque  
concilian-  
tur.Caaröenses  
sylvæ.Iivius flu-  
vius.Niezuvii  
morei.

**A**T Gaspar Sobrinus, procuratione functus, Chilieni regni Vice-provincialis designatus, cum sex Sociis Europæis secum advectis in provinciam suam contendit, quo factum, ut Paraquaria utilissimo viro, & à me non sine laude dimittendo, imposterùm careret: nam post Chiliensæ Vice-provinciæ gubernationem ad Limani Collegii, & subinde Quitensis provinciæ regimen, evocatus, deinceps Limæ confenuit. Ejus Majores olim inter Regem Aragoniæ & nonnullos Primates Regni candidatos arbitri fuere. Pater verò, anno præteriti sæculi nonagesimo-quinto, nobilitatis deputationem, præcipuum Aragoniæ Magistratum obtinuit, & subinde totius Regni rebus rectè componendis præpositus est. A quo noster Gaspar pro pædagogò domestico Petrum Paulaçam, Archiepiscopum postea Cæsaraugustanum, accepit. Post initam Societatem, septemdecim leucarum millia navigando, & terrestri itinere decem millia cum emensum fuisse, author est Bartholomæus Tafur, Collegii Limani Rector. Quitensem provinciam regens, Beati Borgiæ urbis parochiam indeptus, ad expeditionem Maranionis magno cum Religionis Christianæ emolumento viam stravit. Dimissionem ab gubernandi onere postulanti respondit Vitellescus Generalis, Societatis regimen esse unicam ad patientiam viam. Quotidie tribus horis rerum Divinarum contemplationi insistebat. Quoties carnis motus sese prodebant, toties per mediam horam cruentè se flagellabat. Per sexdecim omninò annos vestem diurnam ad somnum captandum nunquam posuit. Diebus Sabbathinis amorem erga Deum trecentis vicibus renovabat. Ad pœnitentis & modesti animi conservationem imaginariam sibi casam infra damnatos omnes construxerat. In Quitensi regno ortas in visitatione provinciæ difficultates religiosissimè roleravit. Mutius Vitellescus Generalis ad eum consolatoriam Epistolam in hæc fermè verba scripsit. *Gaspar Sobrine macte animo, nam rectitudinem mentis & prudentem negotiorum administrationem in te uno semper observavi, observaruntq. quotquot tuam industriam Romæ in procuratione Paraquariensi, & in aula Regis Catholici, in rebus Chiliensæ regni coram perspexerunt. Utròque te gessisti sicut decet sincerum Societatis matris nostræ filium, pro quo, præter approbationem meam, spero amplissimam in Cælis mercedem tibi non defuturam. Sed hæc multò post evenere.*

**I**NTEREA Rochus Gonfalius, alias Urvaicæ terras adiens, materiam novis Sociis, quorum adventus fama percubuerat, adornare saragebat. Primus labor fuit penetrasse ad Caaröenses sylvas, quòd cognovisset earum incolas ad Fidem capessendam, vicinorum exemplo, & Petri Romeri hortatu, utcumque esse inclinatos. Has sylvas incolebant sexaginta Casiquii, quorum plerisque persuasit, ut in spem oppidi construendi non procul uni ab aliis sementem facerent, promittensque Christianæ legis doctorem de Societate propediem concessurum, ad Iivenses per Piratiniensem agrum iter circumflexit. Iivius, torrenti similior quàm fluvio, ubi modicis anfractibus ab origine discessit, recto deinde fermè alveo in Urvaicam paulò suprâ Ibitiraquanos sese exonerat. In utraque ejus ripa & adjacentibus campis sylvæ visuntur, quas quingentæ circiter familiæ cum suis Casiquiis incolebant. Eminebat inter omnes Niezuvius, qui beneficii arte & loquacitate

effecerat,